UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola III. Pelagii Papae II. Ad Gregorivm Diaconvm. Vt ab imperatore auxilium contra Longobardos sibi impetret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Visual Library

EPISTOLA III.

PELAGII PAPÆ II.

AD GREGORIVM DIACONVM.

Vt ab imperatore auxilium contra Longobardos sibi impetret.

Pelagius episcopus dilecto filio Gregorio diacono.

OMNIA quidem quæ necessaria fuerunt, per Honoratum notarium tibi curauimus indicare; quem cum fratre, & coepiscopo Sebastiano ad dilectionem tuam direximus, vt quia illis in partibus ad Rauennam vsque nunc cum viro glorioso domino Decio Patricio fuit, ipse sua relatione te de omnibus studeat informare: vel si qua necessaria iudicaueris, possit domino imperatori suggerere. Quia tantæ calamitates ac tribulationes nobis a perfidia Longobardorum illatæ sunt, contra suum proprium iusiurandum, vt nullus possit ad referendum sufficere. Prædictum autem fratrem Sebastianum quomodo susceperimus, vel in quali apud nos, te suggerente, fuerit caritate, ipsius poteris relatione cognoscere: qui etiam promisit nobis necessitates vel pericula totius Italiæ piissimo domino imperatori suggerere. Loquimini ergo, & tractate pariter, quomodo nostris possitis celeriter subuenire periculis: quia ita hic coangustata est respublica, vt nisi Deus piissimi in corde principis inspirauerit, vt insitam sibi misericordiam suis famulis largiatur, & super illam diacoposin, vel vnum magistrum militum, & vnum ducem dignetur concedere, in omni simus angustia destituti: quia maxime partes Romanæ omni præsidio vacuatæ videntur. Et Exarchus scribit, nullum nobis posse remedium facere: quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testatur posse sufficere. Imperet ergo illi Deus nostris velociter periculis subuenire, antequam nefandissimæ gentis exercitus loca, quæ adhuc a republica detinentur, Deo sibi contrario, quod absit, præualeant occupare. Presbyterum * autem ad nos, Deo adiuuante, retransmittere festina: quia & in monasterio tuo, & in opere, cui eum præposuimus, necessarius esse omnino cognoscitur. Data IV. Nonas Octobris, indictione III.

Ex Ioan. diac. libro I. vitæ sancti Gregorii.

* Maximianum, *de quo S. Gregor. dial. libro 3. c. 36.*

Anno Domini 584.